



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XXX. Idem Episcopo a Parisiensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



## CAPVT XXIX.

Idem Episcopo<sup>a</sup> Bajocensi.

**Q**Via intentionis nostræ non extitit, ut per innovationem, quam fecimus cujusdam scripti monasterii sancti Stephani<sup>b</sup> Cadom. quod in Registro bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri reperimus contineri, derogaretur juri Ecclesiæ Bajocensis, cum innovatio nec jus<sup>c</sup> novum conferat, nec etiam tollat vetus: totum in eo statu esse volumus, in quo tempore innovationis impetratæ dignoscitur extitisse. Cæterum per hoc nullum intendimus juri aliàs eidem monasterio competenti præjudicium generari.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **Bajocensi.** Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 5. id est Roberto de Ablage, qui feliciter certavit cum hæreticis Albigenfibus. De diocesi Bajocensi nonnulla adduxi in cap. 18. de offic. Ordin.
2. <sup>b</sup> **Cadomensis.** Cadomense hoc monasterium est Normandiæ, in diocesi Bajocensi, Ordinis Divi Benedicti; quod construxit, & ample dotavit Guillelmus Rex Angliæ, atque Romani Pontifices magnis privilegiis decorarunt, exemptione illi concessâ à Bajocensi jurisdictione, ut refert

Yepes tom. 6. chron. D. Benedicti, cent. 6. anno 1020. cap. 2. per tot.

<sup>c</sup> **Novum.** Probavi supra in cap... & confirmat omnino textus in cap. 2. de fide instrum. in 5. compil. ubi idem Honorius ita statuit: Licet olim innovaverimus privilegium felicitis memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri Ecclesiæ S. Joannis Bisunt. concessum; præsentem tamen paginam declaramus, quod nostra intentionis non fuit, ut jus Ecclesiæ per hoc in aliquo laederetur, cum per innovationem hujusmodi non acquiratur jus novum, sed antiquum solummodo conservetur: unde præsentem litteras super hoc vobis in testimonium duximus concedendas.

## CAPVT XXX.

Idem Episcopo<sup>a</sup> Parisiensi.

**I**n his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potius esset interpretatio faciendâ: unde mirari compellimur, quod cum fratribus<sup>b</sup> Minoribus duxerimus indulgendum, ut ubicunque fuerint, sine parochialis juris præjudicio cum altari valeant viatico celebrare: quidam, sicut nuper fuit propositum coram nobis nimis strictè interpretando indulgentiam, nituntur asserere, quod per eam prædicti Fratres præter Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum assensum facere hoc non possint, propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cum autem, si res taliter se haberet, nihil eis conferret indulgentia memorata, sine qua id Episcopis, & aliis Prælatis annuentibus liceret eisdem; fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujusmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, qui à jure parochiali proveniunt, se prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consequuti.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **Parisiensi.** Ita legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 6. De Ecclesia Parisiensi nonnulla adduxi, in cap. final. de constit.
2. <sup>b</sup> **Minoribus.** Et Prædicatoribus, addit Gregorius IX. in præsentem; nam in hoc textu tantum Honorium agere de privilegio concessio Fratribus Minoribus, constat ex c. 7. de celebrat. Missar. in 5. compil. ubi idem Honorius eidem Episcopo Parisiensi ita scribit. Non debent Ecclesiarum Prælati, quibus religionem plantare convenit & fovere, viros religiosos persequi, & eis super his maxime, quæ ad divinum cultum pertinent, obviare. Accepimus sanè, conquerentibus dilectis filiis Ministris Ordinis Fratrum Minorum Franciæ, quod quidam Prælatorum regionis illius occasione privilegiorum, quæ se habere proponunt, aliqui mero suo dumtaxat arbitrio prædictis Fratribus inbibere præsumunt, ne ubi degunt, valeant secundum

nostram indulgentiam cum altari viatico solennia celebrare Missarum, in eos, & hospites suos in majorem Apostolicæ Sedis injuriam, & contemptum excommunicationis sententiam promulgantes. Quamquam præfati Fratres ab omni jure parochiali contineant manus suas. Quia verò debemus religiosas fovere personas, & maxime dicti Ordinis Fratres, qui relictis omnibus Christum sequuntur, pro eo esse pauperes, & in paupertate vivere continua eligentes, ac decet nos Apostolicas indulgentias observare: ita quatenus auctoritate nostra inbibereas generaliter Prælatis regionis ejusdem, ne de cætero sic excommunicent dictos Fratres & hospites eorundem, nec aliquo modo impediunt, quominus Fratres ipsi dicta indulgentia possint uti: quia non impunè deinceps talia facerent, cum non possimus injurias pauperum Christi, & servorum eius inquietudinem æquanimiter sustinere.

Commentarium hujus textus in cap. 1. de cons. secr. Eccles. dedimus.

CAPUT